



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 116. Vnus autem quidam de circumstantibus educens gladium percussit.
v. 47.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

nes & lycanthropos. Quid vero tunc animi fuisse putabimus Christo vel homo se gerenti? nescio edicere, cogito multa etiam hoc quod cum toc fieri modi tenendi te, isti omnium pessimum elegerint.

MI Iesu, cupio te tenere, & perpetuo quidem, sed amore captivum non ad malum tibi inferendum, contumelias, iniurias, mortem, sed honorem, & gloriam & vitam, quouis modo, quavis virtute, & gratia; teneam igitur te nec dimittar à te; teneam te sic, vt nunquam abeas à me per amissionem gratiæ tuæ, vel si non tenuero ego te, ecce oro tenero me, cupio tuus esse captivus perpetuus; quia bonum est mihi semper tecum esse.

§. 116. Vnus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit. v. 47.

Euangelista hic describit quid contigerit in comprehendendo & tenendo Christo, in illa furia militari, & insinuat fuisse aliquam resistantiam, non per Christum ipsum sed per *vnun quendam*, quem ob causas certas noluit nominare. credo, ne læderet honorem eius, eo quod educens gladium percussit: nam mens Christi non erat neque mandatum, vt educeretur gladius, contra aduenientes hostes. & eum captiuantes, multo minus vt quis percuteretur gladio: cum maxime ipse sponte obuiam iuerit hosti, & vltro se tradiderit in manus peccatorum, pro salute mundi; & ipse percutiens iam esset Ecclesiasticus & Sacerdos creatus. ideoque nota aliqua videbatur, quam vocant defectum lenitatis. Sed & præsumptuosum erat quod Sacerdos & talis & solus quidem contra tot armatos, & sine Domini mandato percuteret. Hinc discimus nunquam nisi bonum de proximo vel scribendum vel dicendum: etsi narrare historiam contigerit, in qua vix omnino possit malum factum, id narretur sine nominis mentione, maxime si sit persona Ecclesiastica, in dignitate constituta, ne inferioribus detur rursus occasio, & ansa vel detractionis vel malæ opinionis.

Domine, considerans tantam cautelam in tuo S. Euangelista, expauesco super mundi cursu, & hominum loquendi more. Vix incipimus loqui & statim aliquis de proximis, vel multi simul eribrantur. Iam Magistratus, iam principes, iam clerus, iam religiosi; modo iste, modo ille sunt tales & tales sunt. Hi sunt auari, isti sunt sordidi, isti arrogantes, isti voluptuarij. Summa omnes excepto vno eo qui loquitur sunt peccatores, iste bonus, iste sanctus est, iste prudens est, scilicet Deus meus: quale est hoc linguarum diluuium! contra hoc vix Arca aliqua Noëtica datur ad effugium.